

Utrum peccatum veniale vel mortale habitum caritatis infuse valeat diminuere. Arguitur quod non, quia mortale non stat cum caritate, et veniale non potest totaliter auferre caritatem, igitur quaestio falsa. Antecedens patet quantum ad primam partem et quantum ad secundam per omnes doctores, et consequentia probatur primo de mortali, quia si non potest stare cum caritate, igitur nec ipsam potest diminuere, quia diminuens et diminutum oportet esse quod sint simul sicut causa et efficiens. Et consequentia quoad veniale patet, quia si unum veniale potest aliquid diminuere de caritate cum ipsa sit finita et habeat in se gradus finitos, igitur et finita venialia possent totam caritatem auferre.

Ad oppositum arguitur quia est minuibilis et non nisi per peccatum, igitur. Consequentia de se nota, et antecedens patet quoad primam partem, quia omnis forma intensibilis est remissibilis. Quoad secundam partem, quia nulla forma potest diminui nisi per suum oppositum solum autem peccatum opponitur caritati.

Respondeo pro solutione questionis ponendo conclusiones. Prima conclusio est quod in augmentatione caritatis vel alterius forme gradus subsequens precedentem non habet excludere. Probatur tripliciter. Primo sic: supposito quod voluntas Socratis sit informata aliquo intenso gradu gratie quo tamen intensiorem possit habere.

Item quod voluntas talis tali informata gratia aliquem actum ita intensum et perfectum potest elicere quod absque illo gradu vel habitu gratie ipsum actum non posset elicere. Patet statim, quia gratia adiuvat voluntatem ad bene agendum, tunc volo quod voluntas Socratis eliciat a actum intensum cum dicto habitu gratie certum est quod ex tali actu perfecto elicito perficitur habitus gratie Socratis, vel quod ex illo actu habet perfectiorem habitum quam prius habebat. Tunc arguo sic: aut actus ex dicto actu dicitur perfectior quia habitui precedenti ipso permanente est additus aliquis gradus, habetur propositum, aut quia ex illo actu perfectior habitus causatus est et precedens est corruptus. Et tunc quero. Aut precedens est corruptus (44vb) post generationem perfectioris, et tunc per aliquod tempus vel signum insimul remanserunt naturaliter. Igitur et continue possunt ante generationem perfectioris est corruptus precedens et tunc sequitur vel quod actus ille fuerit productus a voluntate sine precedente habitu quod est contra positum. Vel ille habitus perfectior non fuit causatus ex illo actu, quia actus nihil potest causare nisi dum est, et actus non potest esse nisi dum precedens habitus est, vel insimul unum generabitur, et aliud corrumpetur et sequitur idem, scilicet vel quod ambo illi habitus erunt simul, vel quod perfectior habitus non causabitur ab actu elicito a priori habitu.

Secundo sic: si gradus preexistens corrumpatur per adventum alterius sequitur quod forma intensa non sit idem materialiter quod remissa. Patet consequentia. Quia per te in forma intensa non remanet aliquid de forma remissa cum illa corrumpatur per adventum forme intense. Sed consequens falsum, quia tunc sequitur quod si species vini in calice consecrato condensentur per congelationem et postea rarefiant, quod ibi esset alia et alia quantitas numeralis, cum de minori quanto sit maius, similiter quod si hostia consecrata aliquialiter per humefactionem fiat magis grossa vel per siccitatem magis tenua quod ibi esset alia quantitas numeralis, similiter quod si per tempus humidum fiat minus alba et per tempus calidum magis alba quod ibi non esset eadem qualitas et per consequens quod ad omnem talem mutationem ibi desineret esse sacramentum. Quod est falsum, quia tunc cum semper ad mutationem temporis aliquialiter mutetur ipsa hostia nunquam per diem ibi maneret corpus Christi cum ibi desinat esse sacramentum ad definitionem accidentium preexistentium.

Et confirmatur, quia tunc sequeretur quod agens naturale ageret aliquod quantum reale novum nullo subiecto presupposito. Probatur, quia cum de minori quantitate hostie consecrate per agens naturale sit maior, ut puta per humefactionem, si non manet preexistens quantitas, sequitur quod ibi nihil maneret subiecti, scilicet mutationis.

Tertio sic: caritas vel alia forma accidentalis potest augmentari, igitur. Conclusio vera, patet antecedens per omnes. Probatur consequentia per Aristotelem 1 De generatione textu commenti 33 dicentem quod illud quod augetur necesse est manere et aliquo adveniente augeri.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod forma preexistens sit subiectum alterationis vel augmentationis. Consequens falsum est et contra, si usui (45ra) concessa, in solutione primi argumenti.

Contra secundam conclusionem precedentis quaestionis et contra auctorem Sex principiorum quod dicit quod forma est simplex et invariabilis etc. Et consequentia patet, quia illud quod manet in toto motu est subiectum illius moti 5 Phisicorum textu commenti 15.

Secundo sic: si conclusio sit vera, sequitur quod caritas possit successive creari. Consequens implicat, quia quod successive producitur non creatur. Quia in productione successivi semper aliquid illius quod producitur pefuit in creatione autem rei nihil pefuit et patet consequentia.

Quia posito quod Socrates existens in caritate eliciat actum meritorium per unam horam taliter intensum quod ex illo sua caritas in sine hore sit augmentata per unum gradum modo talis gradus est productus successive quia per actum succesivum cuius actus quelibet pars fuit meritoria una sicut alia et tamen talis productio est creatio, quia caritas cum non possit educi de potentia materie, necessario creatur.

Tertio sic: omnis motus vel mutatio est inter terminos impossibiles. Alteratio et augmentatio sunt quidam motus, igitur. Sed in illis terminus a quo est forma remissa, terminus ad quem est forma requisita, igitur illius forme scilicet preexistens et acquisita sunt impossibiles etc.

Respondeo ad primum nego consequentiam. Ad probationem concedo dictum Philosophi et nego quod forma preexistens maneat idem sub utroque termino augmentationis et alterationis cum ipsa habeat rationem termini a quo, licet ipsa maneat in principio augmentationis et in fine.

Unde Philosophus vult dicere quod illud quod manet idem sub utroque termino motus id est quod subicitur utrique termino et certum est quod forma remissa non subicitur sibi ipsi.

Ad secundum potest dici sicut dictum est in solutione primi argumenti contra tertiam conclusionem precedentis questionis, et quando probatur quod creatio non potest esse successiva, quia creatio nihil rei que creatur presupponit, dico quod verum est quod nihil presupponit tanquam ex quo producat, et sic dico quod gradus subsequens non presupponit precedentem tanquam materiam ex qua deducatur, sed bene ipsum presupponit tanquam rem preexistentem que per ipsum habet perfici, et hoc non repugnat creationi, que est ex nihilo productio, licet bene possit esse in aliquo.

Ad tertium dico quod maior in se universaliter sumpta est falsa. Patet de motu locali quo ali- (45rb) quid movetur circulariter ab eodem puncto circuli ad eundem punctum, quia idem est terminus a quo et ad quem. Si autem solum intelligatur de motu alterationis vel quantitatis, dico quod terminus motus a quo, duo dicit scilicet aliquod positivum ut est forma remissa et aliquid privativum, scilicet privationem forme intense ad quam sit talis motus, dico igitur quod

quantum ad illud quod dicit positivum non opponit termino ad quem sed solum quantum ad illud quod dicit privativum, quia privatio gradus acquisiti per motum qui est terminus ad quem que privatio est in termino a quo privative opponitur ipsi termino ad quem.

Secunda conclusio est quod peccatum veniale, habitum caritatis infuse habet diminuere, sic intelligo conclusionem non quod in peccato veniali sit aliqua virtus vel potentia que caritatem diminueat, sed quod Deus propter peccatum veniale diminuit caritatem eodemmodo loquendo, sicut quando dicitur quod peccatum mortale corrumpit caritatem, cum tamen nec mortale nec veniale sit aliquid. Probo conclusionem tripliciter. Primo sic: si conclusio non sit vera, sequitur quod Deus equaliter diligit peccantem et non peccantem. Consequens falsum, quia tunc peccatum non caderet sub odio Dei. Patet consequentia, quia habentes equalem caritatem equaliter diligit Deus, posito igitur quod Socrates et Plato habeant equalem caritatem et quod Socrates peccet venialiter, et non Plato si peccatum veniale non minuit caritatem Socratis. Sequitur quod equaliter diligatur a Deo sicut Plato, quod est falsum, quia Deus aliquam penam vult dare Socrati propter veniale, quam non vult dare Platoni.

Ad istud argumentum respondet Paulus, dicens quod Deus equaliter diligit utrumque, licet velit punire Socratem et non Platonem, quia non omnis punitio est signum odii, sicut patet de patre verberante filium, sed salva sui gratia, solutio non potest stare. Nam primo exemplum est contra ipsum et pro me, quia certum est quod patet verberat filium peccantem, ut per talem verberationem dimittat peccatum, quia magis diligit ipsum sine tali peccato, quam cum tali peccato vel vicio, nam si pater equaliter diligeret filium peccantem sicut non peccantem, equaliter esset sibi acceptus peccans sicut non peccans, et per consequens non procuraret per verbera ipsum emendare, et ipsum acceptabilem facere, cuius oppositum docet experientia.

Dico secundo quod licet exemplum suum (45va) contineret veritatem scilicet quod pater verberans filium, quia peccavit tantum diligit ipsum sicut si non peccasset, tamen non simile de verberatione filii per patrem et de punitione peccatoris per Deum. Nam pater verberat filium ut corrigatur, et non quia peccavit, nam si sciret filium omnino de peccato commisso emendato amplius ipsum non puniret Deus autem punit peccantem non precise ut emendetur, sed ut offensa puniatur, nam punit aliquos quos non sperat emendandos, etiam punit peccata venialia in purgatorio in illis quos non sperat meliorandos.

Secundo modo arguitur sic: peccatum veniale nocet et aliquid corrumpit, ut patet per Magistrum libro 2, distinctione 25, ubi ait quod omne peccatum est corruptio boni. Tunc arguo, aut diminuit de naturalibus, aut de gratuitis. Si de naturalibus, igitur multo fortius de gratuitis, quia gratuita facilius adimuntur quam naturalia, sicut patet de peccato mortali quod tollit totam gratiam, et non naturam si non de naturalibus igitur de gratuitis, quia omnia que sunt in homine habente gratiam, aut sunt naturalia, aut sunt gratuita. Ad istud respondet Paulus, dicens quod veniale nocet et diminuit de gratuitis, scilicet fervorem caritatis, sed non ipsam caritatem. Sed cum diminuit de fervore caritatis, igitur de ipsa caritate. Patet consequentia, quia fervor caritatis idem est quod ipsa caritas, Aliter si fervor esset accidens ipsius caritatis sequeretur quod aliquid accidens absolutum posset esse subiective in qualitate, quod est falsum.

Tertio sic: caritas est augmentabilis, igitur diminuibilis. Antecedens patet per antecedentem questionem. Consequentia patet, quia opposita habent fieri circa idem, ad minus opposita privative. Tunc sic: caritas est diminuibilis, et non nisi per peccatum, igitur per peccatum veniale. Antecedens patet, quia nihil potest esse stante data Dei lege ratione cuius diminuatur caritas nisi peccatum, sed hoc non potest mortale, cum ratione eius totaliter

corrumpatur caritas. Nec originale, quia tale nullo modo presupponit caritatem. Igitur hoc facit veniale. Ad illud respondet Paulus dicens quod opposita habent fieri circa idem, et hoc quando subiectum est aptum utrumque recipere. Quod non, sic est de caritate, quia licet possit augeri, non tamen potest minui, contra quia stat caritatem augeri igitur stat caritatem minui. Antecedens patet per dicta, et consequentia nota, quia non repugnat formam esse in eodem gradu in (45vb) quo aliquando vere et realiter fuit sed caritate augmentata ipsa fuit aliquando minor quam nunc sit, igitur. Patet maior, quia si repugnaret nunquam in tali statu fuisset.

Contra conclusionem arguit ipse Paulus tripliciter. Primo sic: aliquis potest simul mereri vitam eternam et peccare venialiter, igitur veniale non minuit caritatem. Patet consequentia, quia cum per meritum augeatur caritas et veniale per te minuatur, sequitur quod caritas simul augetur et minueretur.

Secundo sic: volens minuere suam caritatem peccat mortaliter, sed omnis minuens suam caritatem per peccatum veniale vult ipsam minuere, igitur omnis minuens suam caritatem peccat mortaliter. Maiorem probo, quia volens caritatem proximi minui peccat mortaliter, igitur et volens suam minui. Consequentia nota, sed probatur antecedens, quia talis vult proximo maius malum quam si auferret ab eo omnia temporalia que habet, sed volendo proximo auferre temporalia bona peccat mortaliter, igitur.

Sed probo minorem, quia omnis peccans venialiter vult peccare venialiter, igitur vult illud quod ad peccatum veniale sequitur, igitur vult caritatem suam diminueri.

Tertio sic: sic conclusio sit vera sequitur quod veniale totaliter possit caritatem corrumpere. Consequens falsum, quia tunc esset mortale et non veniale. Consequentia patet. Quia cum caritas sit finita, si peccatum veniale aliquid adimit, sequitur quod tot possent esse venialia quod totam caritatem auferrent.

Respondeo. Ad primum dico quod veniale, quantum est de se, admit caritatem, sed cum hoc stat quod causa in casu non adimit propter aliud impedimentum, sicut ferrum quantum est de se descendit deorsum, licet in casu propter virtutem adamantis coniuncti non descendat.

Dico secundo quod non sequitur 'peccatum veniale adimit caritatem et meritum insimul auget caritatem, igitur caritas simpliciter simul augetur et minuitur', sed bene sequitur quod 'si meritum plus augeat quam peccatum adimat quod simpliciter augetur et secundum quod minuitur', et si econverso est dicendum econverso ut potest ostendi in exemplo naturali posito quod habeam viginti denarios et Petrus auferat mihi tres, et Plato apponat mihi 10, non sequitur quod simpliciter 1000 denariorum augeatur et minuatur modo quod simpliciter augmentatur.

Ad secundum dico quod volens minuere suam carita- (46ra) tem ex deliberatione peccat mortaliter, et quod impossibile est quod aliquis velit deliberare diminueri suam caritatem et solum peccet venialiter, quia sicut dicit Augustinus et recitatur in canone distinctione 25 capitulo 'unum orarium', nullum peccatum adeo tam leve est et veniale quamdiu placet non fiat mortale. Dico etiam quod possibile est quod aliquis minuatur caritatem suam per peccatum suum veniale et nolit ipsam minui vel nesciat ipsam minus quia forte erit peccatum veniale ex infirmitate, vel ex ignorantia, et patet quod argumentum supponit unum falsum, scilicet quod aliquis velit solum per peccatum veniale diminueri caritatem suam, et quod talis solum peccet venialiter, etiam dico quod non sequitur Socrates vult peccare venialiter, Igitur vult omne illud quod sequitur ad tale peccatum, nam quis vult fornicari non tamen vult damnari.

Ad tertium nego consequentiam, quia imaginor quod peccatum veniale minuatur caritatem secundum quantitatem proportionabilem, ita quod primum peccatum veniale dimittit tertiam

partem et secundum tertiam partem remanentis, et sic ultra, et si secundum peccatum veniale sit maius quam primum diminuit, solum tantum plus proportionabiliter de residuo caritatis quantum primum in tanta proportione in qua secundum excedit primum.

Sed contra ista conclusionem arguit Tarantasius, quia tunc sequitur quod maius veniale peccatum minus nocebit, quia minus bonum adimet ab homine quam primum peccatum veniale levius.

Respondeo quod immo magis quia non sequitur primum peccatum plus abstulit de caritate quam secundum, igitur primum magis nocet nisi in casu ubi tantam caritatem inveniret unum sicut reliquum, quod patet in casu in quo habeam centum libras, si quis auferret mihi, 50 mihi facit damnum et si aliquis auferret mihi de residuo 40 mihi infert maius damnum quam primus, licet minus auferat, et si alius auferret 10 que remanserunt mihi inferret maius malum quam omnes alii. Sicut maius damnum esset mihi perdere capam meam quam regi perdere unum castrum. Sic est in proposito.

Tertia conclusio est quod nullus ex eodem actu potest insimul augmentare suam caritatem et ipsam diminuere. Probat tripliciter. Primo sic: nullus actus insimul potest esse Deo acceptus et non acceptus, igitur antecedens notum, quia eius oppositum implicat, et patet consequentia, quia omnis actus quo augetur caritas est Deo acceptus et omnis quo minuitur caritas est Deo non acceptus.

Secundo sic: nullus actus insimul procedit a voluntate informata caritate et secundum inclinationem caritatis et contra inclinationem caritatis, igitur antecedens patet, quia tunc voluntas in eodem actu conformata et de se caritati, et non se conformaret, quod implicat. Consequentia nota, quia omnis actus quo augetur caritas est meritorius et procedit secundum inclinationem caritatis et omnis actus quo diminuitur caritas est demeritorius et procedit preter vel contra inclinationem caritatis.

Tertio sic: nullus eodem actu insimul potest magis placere Deo quam prius et minus, igitur antecedens notum, et consequentia patet, quia actu quo augetur caritas anima placet Deo magis quam prius, et actus quo diminuitur minus placet quam prius.

Contra conclusionem arguitur tripliciter.

Primo sic: quis eodem actu simul potest peccare venialiter et mereri vitam eternam, igitur. Consequentia nota. Quia omne peccatum veniale secundum precedentem conclusionem minuit caritatem, et omnis actus meritorius vite eterne ipsam auget. Et antecedens patet de illo qui existens in caritate insimul temptatur a carne et resistit temptationi.

Secundo sic: quis existens in caritate eodem actu potest se conformare dictamini recte rationis et peccare venialiter, igitur. Consequentia nota, quia omnis actus existentis in caritate elicited secundum dictamen recte rationis est meritorius, quia ad omnem talem inclinatur caritas. Et antecedens patet de illo qui est in caritate et dicit mendacium iocosum vel officiosum, ut salvet vitam proximi.

Tertio sic: quis existens in caritate eodem actu potest proponere minus bonum maiori bono meritorie, igitur antecedens patet de illo qui cognoscit duas religiones esse sanctas, sed unam plus alia, et eligit intrare minus sanctam et ibi Deo servire. Nam in casu illo certum est quod actus illius electionis est meritorius, quia eligit intrare sanctam religionem ad serviendum Deo, etiam est demeritorius venialiter, quia scienter proponit minus bonum maiori bono, quod semper peccatum est saltem veniale, quia est difformis dictamini recte rationis etc.

Respondeo. Ad primum dico: quicquid sit de antecedente, negatur consequentia, quia licet quis insimul possit temptari a carne et resistere temptationi meritorie, non tamen sequitur quod eodem actu, quia non est idem actus temptari et temptationi resistere. Ad (46va) secundum nego antecedens. Ad probationem dico quod rectum dictamen rationis non dictat aliquem debere mentiri pro quacumque re etiam pro vita alterius salvanda, quia hoc nullo modo est licitum, ut ait Magister libro 3 distinctione 38.

Ad tertium dico quando aliquando est licitum et nullo modo peccatum proponere minus bonum maiori, ut puta quando licet in se a sit minus bonum quam b, tamen mihi est maius bonum et magis expediens sicut quia mihi esset maius bonum salvari, cum hoc quod decem demonstratis damnarentur quam quod ipsi salvarentur et ego essem damnatus licet primum in se sit maius bonum quam secundum, tum quia mihi est maius bonum et magis expediens, hoc licite possum facere nec contra hoc est rectum dictamen, sic dico quod in casu possum cognoscere regulam minus sanctam esse mihi utiliorem et magis securam. Ad argumentum principale in oppositum patet per secundam conclusionem.